

& propagatio Ecclesiæ exulante pace & tranquillitate publica turbaretur, ac prorsus rueret. De hac igitur dignissima ordinatione divinâ, in Ecclesia, & pro Ecclesia constituta, proximum est, ut agamus.

SECTIO PRIMA.

De Magistratus Officio in genere.

QVÆST. I.

*An fœmina ad imperij Maiestatem
admittenda?*

1. **D**istinguendum est inter electionem & successionem. Si leges regni fundamentales, vel consuetudo publicè recepta, & continuata falces imperij fœminæ per successionem deferant, omninò debet gubernationi rerum præfici; Cum jure etiam civili fœmina pari jure ad successionem vocetur, sublato veteri inter masculos & fœminas, quoad successionem, discrimine §. 15. instit. de hæred. ab intest.

2. Si fœmina legitimis medijs ad imperij fastigium est evecta, non debet illi propter has vel alias rationes imperium divinitus datû eripi.

3. Sic Debora prophetissa imperio præfuit, & populum judicavit, Jud. 4. Cujus imperium victoria à Cananæis reportata fuit nobilitatum. Sic nostra ætas exemplis fœminarum, quæ maximo cum populorum commodo imperium gesserunt, non fuit destituta.

4. Sexus virtutem non excludit; Virtutum omnium capax est fœmina, quarum capax mas ipse, Plato §. de Republ. Inveniuntur fœminæ, quæ virili prudentia sexum suum transcendunt, prudentia quoq; , robur animi, & virtutes reliquæ non exulant ab hoc sexu.

Obj. Esa. 3, 12. *Inter mala Israelitici populi refertur; quod mulieres illi sint dominatæ.*

Resp. Ibi non de fœminis, sed de effæminatis gubernatoribus agitur, de illis scilicet, qui gerunt animum muliebrem, ac timidum.

Gerhardus.

QVÆST.